Confirmatio Concilij

229

Nos Alexander S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis, de Farnesio S. R. E.
(53) Vicecancellarius, fidem facimus, et attestamur, qualiter hodie, die Mercurij, XXVI
Januarij, M. D. lxiiij, Pontificatus Sanctissimi D. nostri, D. Pij, diuina prouidentia
Papæ Quarti, anno quinto, in Consistorio secreto, apud S. Petrum, Reuerendiss. DD.
mei Cardinalis Moronus, et Simoneta, nuper reuersi a sacro Concilio Triden-
tino, cui uti sedis Apostolicæ Legati præerant, petierunt ab eodem sanctissimo
D. nostro ut infra

Beatissime Pater, in Decreto super fine Concilij Oecumenici Tridentini,
pridie nonas Decembris præteriti publicato, statutum fuit, ut per sanctitatis
Vestræ, et sanctæ sedis Apostolicæ Legatos, et Præsidentes peteretur nomine
dicti Concilij a Sanctitate Vestra confirmatio omnium, et singulorum, quæ
tam sub fel. rec. Paulo iij. et Julio iij., quam sub Sanctitate Vestra in eo decreta
et definita sunt. Quapropter nos Joannes Cardinalis Moronus, et Ludoui-
cus Cardinalis Simoneta, qui tunc Legati, et Præsidentes eramus, uolentes
exequi quod in dicto Decreto stabilitum fuit, Humiliter petimus nomine
dicti Concilij Oecumenici Tridentini, ut Sanctitas Vestra dignetur con-
firmare omnia, et singula, quæ tam sub fel. rec. Paulo iij. et Julio iij. quam
sub Sanctitate Vestra in eo decreta et definita sunt

Quibus auditis Sanctitas sua, uiso, et lecto tenore dicti Decreti, et
habitis uotis Reuerendiss: DD. meorum Cardinalium, respondit per hæc uerba.

Petitioni, nomine Concilij Oecumenici Tridentini super eius confir-
matione per dictos Legatos nobis factæ, annuentes, omnia et singula, quæ
in dicto Concilio tam sub fel. rec. Paulo iij. et Julio iij prædecessoribus
nostris, quam Pontificatus nostri tempore decreta, et definita sunt, aucto-
ritate Apostolica, etiam de Venerabilium fratrum nostrorum Cardina-
lium consilio, et assensu, matura cum illis deliberatione præhabita, confir-
mamus, atque ab omnibus Christi fidelibus recipi et inuiolabiliter obser-
uari mandamus, in nomine Patris et Filij et Spiritussancti. Amen

Ita est A. Cardinalis
Farnesius Vicecancell.

UGR Biblioteca Universitaria

UGR Biblioteca Universitaria